



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Cap. VII. Principia Scientifica. Et Axiomata Philosophiæ universæ ad
compendium redacta & elucidata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

C A P. VI.

*Philosophia Univerſe**Origo, Partes, & Ordo Materie.*

Philosophia primùm in Græcia maximè celebris, & in varias Sectas divisa fuit. Inter has præcipui nominis fuere Stoici sub Zenone, Academici sub Platone, & Peripathetici sub Aristotele. Demùm seculo post Christum decimo, & undecimo, Philosophia Aristotelica cæteris prævaluit & in Europæ Academicis seculo duodecimo passim florere cæpit; & in iis hæcenus tot seculis principatum tenet. Schola hæc Peripathetica progressu temporis divisa est in Reales & Nominales, Reales in Thomistas & Scotistas, ex opinionum in variis quæstionibus diversitate. Nostro ævo Doctrinam Peripatheticam multum impugnare cæpit Renatus Cartesius natione Gallus, cum suis aſſectis, de quibus infra Cap. 8. Hic igitur Philosophiæ universæ partes, ordinem, ac materiam ex Aristotele in Scholis receptam sub aspectum proponemus.

LOGICA exordium sumit ab Isagoge Porphyrii, quæ agit præcipuè de Definitione, Divisione, & quinque universalibus in genere, & specie, quæ sunt: Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

Sequuntur Antepredicamenta, in quibus traduntur decem Prædicamentorum Regule, definitiones, Proprietates.

Deinde Postpredicamenta, quæ agunt de oppositis, ut sunt: Opposita relativè, Contraria, Privantia, & Contradictoria. Adduntur modi Prioris quinque, modi Simul tres, modi Habendi octo.

Libri de Interpretatione, de Nomine, Verbo, Oratione, & Enunciatione.

Libri Priorum, præcipuè de Syllogismo & ejus Principiis, Figuris tribus, & singularum Figurarum Modis, Conversione, ac defectibus Syllogismorum.

Libri Posteriorum, qui tractant de Scientia, Demonstratione, Opinione, Modis per se &c.

Postremò, Libri Topicorum & Elenchorum, Analyticorum, de varia sede Argumentorum, Fallaciarum & potestatis Syllogismorum.

Hinc tota Logica tractat potissimùm & dirigit tres Mentis operationes, apprehensionem, judicium, & discursum.

PHYSICA continet primò, Octo Libros Physicorum, ut traditos ab Aristotele, de Principiis, Natura & Arte, de Materia & Forma, de quatuor generibus Causarum, de Infinito, Continuo, Loco, Vacuo, Tempore, Motu &c.

Sequuntur Libri de Cælo & Mundo: Libri de Ortu sive Generatione, Elementis &c. Libri de Meteoris, igneis, aqueis, terreis, acris: Libri de Anima vegetativa, sensitiva, rationali, de quinque sensibus, eorumque objectis.

Subditur apud Aristotelem Historia Animalium, deque eorum partibus, actionibus, mirabilibus, per Capita viginti & unum. Hæc pars in Scholis non traditur, continet tamen tractatus scitu dignissimos.

METAPHYSICA considerat speculativè ut ab omni materia abstractas, agitque de Ente, Existentia in ordine ad Deum & creaturas, earumque persona, substantia, suppositivitate. Denique tractat Passiones Entis, Unum, Verum, Bonum. Cæteris Ethicam tradunt aliqui, quam etiam tractavit Aristoteles in libris Ethicorum, sive de moribus.

Curfus ille Philosophicus in Scholis traditur passim per biennium, sed in Hispania & Italia, tractatur diutius, totum illi triennium impenditur.

C A P. VII.

*Principia Scientifica.**Et Axiomata Philosophiæ universæ ad compendium redacta & elucidata.*

Usus & utilitas horum Principiorum patet primò, quia ad perfectionem scientiæ Theologiæ tantum constat aliquam Philosophiæ notitiam prærequiri, idcirco hæc dicitur Theologiæ ancillari. 2. Quia hæc Principia plurimum illustrent intellectum in materia quavis ad discurrendum, discernendum, & rem quamlibet penitus intelligendam. 3. Quia Principia hæc sunt veluti medulla quædam universæ Philosophiæ, quæ ob nervosam & dilucidam brevitate facilitate retinentur, recoluntur, & in quavis occasione cum magna doctriinæ commendatione profertur, quod erit illis, quibus hæc scribimus, singulare subsidium. Sunt autem horum singula vel ab ipso Philosopho tradita, vel in Scholis communi consensu recepta, ut infra in singulis jam patebit.

Axiomata sunt suppositorum: Ita Aristoteles Lib. 1. Metaphysicorum Cap. 1. Sensus maximè receptus & clarus est, Actiones denominativè tribui toti compositivo sive individuo, non soli parti, quæ actionem efficiat. Sc corpore agro, homo denominatur ægrotare; & anima intelligente, Petrus dicitur intelligere.

Actus prior, sive melior, est quam potentia. *Anal. 9. Metap. Cap. 19.* qui exemplum ponit in fanate actuali, & possibili. Res enim tam physicè quàm moraliter tantò aestimabilior est, quanto magis recedit à mera potentia: hinc etiam plures fit aliquando dari, quàm promitti. Verum non esset axioma intellectum de potentia sive causa respectu actus, quoniam elicit: sic enim motor melior est, quàm motus, quoniam efficit.

Abstrahentium non est mendacium: Arist. 2. Physicorum textu. 13. Sic concipimus animal in homine abstrahendo in conceptu à rationali & irrationali, quod sic de homine nec affirmamus nec negamus, & ideo non mentimur. Quod & in mortalibus locum habet, dum à rerum, quas mentè narramus, veritate abstrahimus.

Omne bonum est communicativum sui: S. Thomas 3. p. q. 1. Art. 1. qui hinc probat convenientiam incarnationis Verbi divini. Ratio physica patet ex inclusione, quæ creaturæ in se mutuo agunt & alias sibi admilant, ut cum non possunt suam substantiam individualem, saltem suam speciem cum aliis communicare. Quod etiam in bonitate morali locum habet, per bonorum & virtutum suarum ad alios participationem.

Arist
KiThe
log
D. IV

Bonum est ex integra causa, malum ex quocunque defectu: *S. Thomas 1. 2. q. 18. Art. 4. alique.* Sic finitas omni ex parte optima, mala fit & dicitur ex unius humoris intemperie. Valet frequenter axioma in materia Theologica, dum actus ex se bonus, vitatur unice circumstantia, quae sit mala.

Bonum totius est etiam bonum partium: *S. Thomas 1. 2. q. 92. Art. 1.* Patet hoc tam in genere physico, quam in genere moris. Quia quod totum absolute perficit, idem etiam perficit singulas partes, ideoque hae naturaliter appetunt bonum totius; quod explicat D. Thomas exemplo manus, quae ictum a capite & reliquo corpore propulsat.

Quid est causa causa, est etiam causa causati: *Arist. 2. Physic. 1. 30.* Quia causans sive produciens causam dat illi potentiam & vires naturales producendi suos effectus, & sic est causa saltem remota istorum effectuum; sicut sol produciens lumen, est causa remota caloris à lumine causati. Et sic in genere moris ex eodem principio, mandans alteri patrare homicidium, est causa moralis istius homicidii, ideoque illi in peccatum imputatur.

Causa secunda agit in virtute causae primae, ex *Arist. Lib. 7. Metaph. Cap. 1. D. Thomas, Suarez, &c.* Tum quia causae creatae agunt per virtutem participatam à causa prima, tum quia operantur dependenter ab actuali ejus in fluxu in qualibet actione.

Conclusio sequitur debiliorem partem antecedentis, *ita Phil. omnes.* Quia conclusio aequaliter & per modum unius dependet à veritate utriusque praemissae, ideoque ejus veritas non potest esse certior, aut in se firmiter quam sit veritas praemissae debilioris: hinc si haec sitantur probabilis & incerta, conclusio etiam talis erit.

Contrariorum contrariae sunt causae, *Arist. 4. Meteor. Sum. 2. Cap. 3.* Quia cum sint oppositae, requirunt oppositam, aut dissimilem virtutem sui productivam. Quod intellige de causis per se, non de causis per accidens concurrentibus: neque de causis liberis, potest enim volitio & nolitio ejusdem objecti, ab eadem voluntate successivè produci.

Contraria contrariis curantur, *Arist. 5. 1. Problem. 48.* Quia contraria ex eodem subiecto se mutuo expellunt: ideoque morbi frigidi curantur medicamentis calidis, humidi siccis, & contra. Quodd etiam in vitis animi locum habet, dum superbiae medetur humilitas, & sic de ceteris.

Deus & Natura nihil faciunt frustra, *Arist. 1. de Caelo, Tract. 32.* Quia hoc aliquid imperfectionis importaret in effectibus per se, & secundum totam speciem, scilicet in ordine ad finem à Deo destinatum. Et quamvis nobis aliqua superflua per accidens appareant, ut gibbus in homine, aut similia, hae tamen ipsa conducunt ut ceterorum operum pulchritudo magis appareat.

Non valet argumentum à non distributo ad distributum, *Phil. omnes.* Quia sic terminus distributus sive universaliter sumptus in consequente, non continetur aequate in antecedente, ex quo tamen inferri debet.

Quae eadem sunt uni tertio sunt eadem inter se, *Arist. 6. Topic. Cap. 1.* Quia cum illud tertium supponatur esse unum, necessarid unum sunt alia in e ratione sive praedicatione, in quo cum illo tertio identificantur: ut, si Animal & Petrus in enunciando verè

identificantur Homini, necessarium erit identificari inter se, & rectè dici, Petrus est Animal. Et in hoc principio evidenti Syllogismorum vis & ratio consistit. Habet etiam locum suum in genere moris, ut, qui conjuncti sunt per charitatem cum Deo, etiam inter se per amorem conjungantur.

Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. Sive, Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. In *Aristotele 1. Phys. T. 50. & de Part. Animal. Lib. 3. Cap. 4.* fundatur hoc axioma, qui hoc modo processit contra Antiquos, qui plura rerum naturalium principia sine fundamento posuerunt: & multum eo pro sua doctrina, quamvis diversa, utuntur *Nominales, & Cartesiani* recentius.

Essentiae rerum consistunt in indivisibili, *ita Philos.* Quia nullum praedicatum essentiale potest ab alicujus re essentia detrahi, vel illi addi, sic ut eadem essentia maneat: & hoc sensu quavis essentia consistit in indivisibili: ut, si de homine neges rationale, vel risibile, destruis totam essentiam hominis.

Finis est causa causarum, *Aristotele 2. Phys. T. 32.* Quia intentio finis obtinendi movet alias causas ad operandum pro fine obtinendo: ut, Roma videnda, movet ad omnia itineris media.

Forma non generatur, neque materia, sed compositum, *Arist. 7. Metaph. T. 26.* Notant Interpretes cum D. Thoma *Lib. 7. Met. Lect. 7. generari, & fieri* ab Aristotele hic strictè omninò sumi pro termino adaequato generationis, scilicet composito, latius verò sumendo; formas etiam dici generari, cujus mentem probant ex eo, quod sic procedat: omne, quod generatur & fit, constat materiâ & formâ, ergo si forma generatur, constabit etiam ex materiâ & formâ, & sic quavis alia in infinitum; Unde inferitur de ipsa forma incompleta non agi, de hoc plura ex sequentibus.

Forma dat esse rei, *Arist. 1. de An. T. 2.* Quia forma materiam ex se indifferentem in certa specie completa compositi constituit. Sic in re morali, actiones ex se indifferentes per intentionem agentis accipiunt certam speciem virtutis aut vitii.

Forma prior est materiâ, & composito, *Arist. 7. Metaph. T. 7.* Prior, id est, perfectior, ut Suarez, alii que, *D. Metaph. 15. Sect. 7. Num. 7.*

Formae est movere, *Arist. 2. Phys. T. 12.* Quia forma est principium motus intrinsicum principale, ut docet D. Thomas *p. 1. q. 77. Art. 1. ad 4.* Et sic communiter dicitur, formam movere ut quo, suppositum verò ut quod. Motus hic non intelligitur tantum localis, sed etiam quavis productiones affectionum, & dispositionum, quae in supposito ab intrinseco fiunt. Hinc etiam est aliud axioma Aristotelis: Dans formam, dat consequentia ad formam. Scilicet in radice & virtualiter, ut explicat Suarez *Metaph. D. 16. Sect. 7.* Porro Aristoteles agens de hac forma 2. de Anima Cap. 1. dicit eam per se substantiam esse, & entitatem constituentem speciem compositi. *Dicimus, inquit, unum quoddam genus eorum, quae sunt substantiam: hujus autem aliud quidem sicut materiam, quod secundum se quidem non est hoc aliquid; aliud entitatem formae & speciem, secundum quam jam dicitur hoc aliquid: tertium quod ex his.* Scilicet compositum.

Generatio unius est corruptio alterius, *Arist. 3. Phys. T. 73.* Scilicet concomitanter, non formaliter, sicut

dum generantur vermes, corpus, sive cadaver corrumpitur; Et hinc ostendit Aristoteles, quomodo res naturalis & mundus possit in perpetuum conservari.

Posteriora generatione sunt priora perfectione, *Arist. 2. Phys. T. 66.* Quia juxta aliud axioma, Natura incipit ab imperfectioribus. Sic vit est posterior pueri, sed perfectior; Intellige de effectibus in eodem genere, non diverlo, nam accidens posterius est generatione substantiæ, non tamen perfectius.

Gravia & levia moventur à generante, *Arist. 3. Phys. T. 29.* Quia Generans dat formam & illa mediante dat gravitatem formæ propriam, & sic generans non intelligitur movere actum, sed in quantum dedit potentiam se movendi, ita Suarez *Met. d. 13. Sect. 7.*

Ad habitum à privatione non datur regressus, *Aristoteles in post prædicamentis Cap. d. oppositus.* Hoc est, formam jam habitam & privatione amissam, nemo naturaliter recuperare potest; Quia effectus semel corruptus, idem numero reproduci nequit, sed bene idem specie.

Ignoti nulla cupido, *S. Thomas 1. 2. q. 9. Art. 1.* Suarez *Metaph. Disp. 23. Sect. 7.* Quia nihil volitum nisi quod cognitum, adeo, ut passim admitatur, nec quidem per Deum fieri posse, ut voluntas aut appetitus ab intrinseco in rem incognitam feratur.

Impossibile est idem simul esse & non esse, scilicet idem secundum idem: *Aristoteles Et ipsa Natura, 4. Metaph. T. 9.* Ubi ait: hoc esse primum & certissimum omnium principiorum, & ad quod omnia reducuntur. Et in eo neminem falli posse, clarè ostendit Fonseca *4. Metaph. Cap. 3. Quest. 1.* quod cuivis evidentissimum est, præter Cartesium.

Infiniti ad finitum non est ratio, sive proportio, *Arist. 3. Phys. T. 72.* Hinc, quando de infinito est sermo, non valent rationes & proportiones à finitis desumptæ, quia ibi conceptus plenè alius formandus est; nec mirum, cum plerique negent infinitum in quantitate aut numero esse possibile.

Intellectus abstrahit à materia, *Ita Philosophi passim.* Sensus est, intellectum cognoscere per species abstractas à rebus materialibus: item, intellectum sæpe considerare tantum universalis, & non singularis, & sic à sensibus differre.

Magis & minus non variant speciem, *Arist. 2. Topic.* Quia magis & minus non designant essentiam rei, sed illius perfectionem accidentalem. Sic idem homo potest fieri magis vel minus calidus, non tamen magis vel minus homo; in essentialibus omnia individua ejusdem speciei sunt paria.

Medium nobilius est extremis, *sic Philosophi.* Hoc præcipuè in moralibus locum habet: sic virtus in medio consistit inter excessum & defectum. In physicis etiam compositum perfectius est elementis, ex quibus componitur.

Modus operandi sequitur modum essendi. 2. Modus cognoscendi sequitur modum essendi. 3. Modus prædicandi sequitur modum essendi. *S. Thomas 1. p. Quest. 12. Art. 4.* Et desumuntur ex Aristotele variis locis. Sensus horum maximè clarus est, Modus operandi, cognoscendi, & prædicandi conformatur essentiae rei, quæ has operationes circa objectum elicit, non verò ipsi objecto. Sic homo, quia existit modo corporeo, operatur & cognoscit per actiones & species desumptas à materia, sive versetur circa ob-

jecta spiritualia, sive materialia: & è contra Angelus agit per actiones & species spirituales, cum versetur circa objectum materiale.

Motus est causa caloris, *Arist. 2. Meteor. T. 42. et in D. Thomam &c.* Intellige de calore, qui fit in ipsa re mota. Quia per motum corporum fit sanguinis, aut spirituum commotio & extenuatio, & inde calefactio: & hinc, quo corpus manet densius, ceteris paribus, eo manet frigidius.

Quidquid movetur, ab alio movetur, *Arist. 12. Metaph. T. 27.* Ex hoc principio probat Aristoteles divinum Motorem, qui sit Deus, hoc modo: quicquid movetur, sive fit, ab alia causa movetur, sicut accipiendo ab eo suum esse & virtutem sui motum; atqui, in causis non datur processus in infinitum; ergo datur primus motor, sive prima causa, qui est supremus omnium, Deus.

Natura determinatur ad unum, *Arist. 2. Meteor. Tex. 3.* Ubi ait, irrationalem potentiam unam esse unius: ac proinde per naturam hic intelliguntur agentia necessaria, quæ sunt ad unum determinata, ut forma aquæ ad producendum frigus: non verò agentia libera, quæ possunt se determinare ad opposita.

Natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis, *Arist. 3. de Anim. T. 45.* Locum habet in tota rei specie, non in quolibet speciei individuo: hinc enim monstra proveniunt, quæ dicuntur inordinata toti speciei extranea. Hinc etiam derivatur principium & documentum morale istud *Aristoteles 1. de Cal. Tract. 3. 4.* Natura delectatur paucissimis.

Ex necessario non nisi necessarium sequitur, *Philosophi passim, Et explicat Fonseca Lib. 6. Instit. Cap. 3.* Quod conforme est illi, *Ex vero nisi nisi verum.* Sic enim ex necessario per se sequi potest contingens, quod potest esse falsum, hoc ipso ex vero potest sequi falsum.

Nihil agit indistans: *Ex Arist. 7. Phys. Tract. 4.* hoc est, nulla causa producit effectum in loco à se distans, nisi agendo prius per spatium medium, sive actum medium, ut Philosophi loquuntur. Rationem assignat Suarez de Angelis *Lib. 4. Cap. 3. Num. 4.* quia omnia agentia creata sunt limitate virtutis, quod si possint producere effectum suum in aliquam distantiam, non agendo per medium, possint illum producere in quamlibet distantiam, cum per medium nihil virtutis consumerent, quod tamen repugnat experientie. Et secundum hoc axioma admittendum est, dum ferrum trahit magnetem distantem, aliquid etiam per medium operari.

Nihil agit in seipsum: *Aristoteles 8. Phys. Tract. 4.* Hoc est, idem secundum idem sui non agit in seipsum, sed bene idem secundum unam partem sui agit in alteram partem; sic, dum aliquis se flagellat, manus agit in tergum ejusdem hominis.

Nihil agit ultra suam speciem: *Philosophi cum S. Thoma communiter.* Quia nihil dat alteri id, quod ipsum non habet; sic oculus non potest percipere sonum, nec auditus colores.

Ex nihilo nihil fit: *Aristoteles 1. Phys. textu 14.* Per hoc axioma Aristoteles volebat probare, mundum fuisse ab æterno, cum nihil præextiterit, ex quo fieret. Sed sensus verus axiomatis est, creaturam nihil posse efficere ex nullo præsupposito subjecto. Interim Theologi præclare demonstrant necessarium esse DEUM, sive causam primam, quia alioquin nihil

Arist
kiThe
log

D. II

fuit possibile, cum nihil incipiat à seipso, sive producendo seipsum.

Opinari & existimare non est in nobis: *Aristoteles 1. de Anima textu 155.* Hoc est, non possumus iudicando cuius objecto proposito assentiri aut dissentire, sicut possumus quilibet imaginari, sed tantum in, quæ nobis vera vel falsa apparent saltem ex motivo probabili.

Quæ ordine intentionis sunt priora, posterioria sunt ordine executionis: *S. Thomas 1. 2. Quest. 1. Art. 4. in corpore, alique.* Hoc intelligitur de causa finali, nam prius volumus finem quam media, sed tamen media prius exequimur quam finem obtineamus, sic, dum intendimus obtinere sanitatem, tanquam finem, medicinam prius adhibemus & exequimur.

Possibile positum in actu nihil implicat: *Aristoteles 12. Metap. textu 3.* Hoc est, quod est in potentia, ut existat, si supponatur existere, nullum inde sequitur impossibile: ut, si supponas infinitum actu esse possibile, nihil implicat illud existere eodem modo, quo supponitur esse possibile.

Frustra est potentia quæ non reducitur in actum: *Aristoteles de Cal. textu 32.* Hoc intelligendum est præcipue de causis necessariis; frustra in illis asserimus aliquam potentiam, quam nunquam experimur reduci in aliquem actum: sed locum non habet in causis liberis: sic non frustra habeo potentiam eundi in Æthiopiã, quamvis illam nunquam exuar: sic etiam Deus non frustra habet potentiam producendi res merè possibles & Syncategorematicè infinitas, quas tamen nunquam producet.

Non datur in rebus processus in infinitum: *S. Thomas 1. p. Quest. 87. Art. 3. ad 2. Suarez Metap. Dissp. 47. Sect. 11. alique.* Ratio hujus colligitur ex illo, quod supra dictum est, *Quidquid movetur, ab alio movetur.* Et quia causæ creatæ sunt virtutis limitatæ.

Propter quod unum quodlibet est tale, & ipsum magis: *Aristoteles 1. Poster. textu 5.* Hoc intelligitur de iis, quæ suscipiunt magis & minus, ut sunt qualitates, ut, si lignum est calidum propter ignem, ipse ignis debet esse magis calidus. Et ratio est, quia denominatio competit causato propter causam.

Quilibet est, vel non est: *Ex Aristoteles 4. Metap. textu 26.* Volunt plerique, hoc esse absolute primum omnium principium. Suarez tamen *Metap. 3. Sect. 3.* vult prius & notius esse illud, impossibile est idem simul esse & non esse. Caterum Aristoteles hoc principium usurpat, ut probet, inter contradictoria nullum dari medium.

Quidquid recipitur per modum recipientis, recipitur: *Ita cum Philosophis D. Thomas 1. p. Quest. 12. Art. 4.* Ex quo concludit, intellectum per se non esse capacem ad Deum clarè videndum, quia per se non habet proportionem ad talem visionem. Itaque modus recipientis hic, est capacitas & dispositio subjecti: & hinc fit, ut idem lumen longè alio & perfectiori modo recipiatur in speculum, quam in parietem speculo vicinum, propter diversam utriusque recipientis dispositionem.

Quidquid potest causa prima cum secunda, id potest sola causa prima: *S. Thomas 1. 2. Quest. 51. Art. 4. in Corp. &c.* Hoc axioma maxime intelligi debet de causa efficiente & de effectibus absolutis, non verò relativis, ut sunt aliqui modi, non enim potest à Deo produci unio sine suis extremis, neque hominis v. gr. actio-

nes vitales & liberæ, modo vitæ aut libero à Deo causari possunt, homine vitaliter non concurrente: quia in his singulis involvitur hæc repugnantia, esse vitalem & non vitalem, liberum & non liberum.

Simile non agit in simile: *Aristoteles 1. de generatione textu 51.* Ratio redditur, quia agens vult assimilare sibi passum, ergo si illud jam est perfectè simile, non agit; nam tunc cessat finis agendi, qui erat sibi passum assimilare. Sic calidum ut quatuor non agit in subiectum, quod habet etiam quatuor gradus caloris, sed bene in illud, quod habet tres gradus. Et in hac ratione fundatur aliud axioma, *Omnis actio est à proportionem majoris inæqualitatis*; adeoque, ubi omnimoda æqualitas, ibi nulla actio.

Simile simili gaudet. Item: similitudo est mater amoris: *Aristoteles in problemate 52. vel 47.* Sic corvus corvo, homo homini, puer puero, lætus læto maxime jungitur. Ratio fundatur in naturali complexione, quæ, cum varias habeat propensiones, magis fertur in aliam, quam sibi similem invenit, sicut quisque fertur in alia bona quæ natura sua magis congruunt, quilibet enim tendit naturaliter in sui perfectionem.

Sublatà causà tollitur effectus: *Aristoteles 2. Postp. textu 23.* intellige hoc potissimum de causa immediata, nisi alia causa conservans effectum immediatè succedat. Sic, sublato sole, tollitur ejus lumen aut calor, nisi succedat immediatè alia causa conservans, aut causa prima se solà conservet. In moralibus etiam axioma locum habet: sic, sublatis meritis, tollitur gratia, & præmium eorum tantum intuitu conferendum; sublata objecti bonitate causante amorem, tollitur etiam amor. Hæc notat *D. Thomas & Toletus*, etiam posito effectu poni causam per certam consequentiam, nempe quod illius causa vel actus ponatur, vel posita fuerit.

Substantia prior est accidente & tempore, & ratione, & cognitione: *Aristoteles 7. Metap. textu 3.* Prior est Tempore, quia substantia potest esse sine accidente, non contra, saltem naturaliter. Quod si aliqua substantia sit accidenti cœva, ut sol suo lumine, hoc est per accidens ad naturam substantiæ, *Ratione* est prior, hoc est definitione, quia in definitione accidentis saltem in communi ponitur substantia & vix accidens intelligitur sine ordine ad illam. Et hinc prior est *Cognitione*, quoad se, sive ex sua præstantia; quamvis quoad nos, sensus prius deveniunt in cognitionem accidentium.

Supremum infimi est vel attingit infimum supremi: & Infimum supremi est supremum infimi. *Axioma est commune Philosophis teste Rubio 2. de Angelis Quest. 7. Num. 67.* ubi illud pluribus explicat. Patet in omnibus, quæ inter se contingua sunt & quæ inter se certum ordinem includunt. Sic infimum cæli Saturni est supremum cæli Jovis, & infimus ex Angelis, quoad substantiam, est supremus, respectu Hominis, & Homo, qui est infimus creaturarum rationalium, est supremus, respectu sublunarium, & ab utraque aliquid participat, cum Angelis intelligere, cum brutis sentire.

Tempus omnia consumit: *Ex Aristoteles 4. Phys. textu 117.* ubi ait, illa, quæ semper sunt, non esse, nec contineri in tempore. Hæc locutio intelligenda est per syncedochem, continens pro contento: non quod

quod ipsum tempus, quod consistit in motu cæli, aliquid consumat, sed quia hoc ipso quo res tempore concluduntur, paulatim per se & contrariorum agentium violentiâ consumuntur.

Totum omne est majus sua parte: Sic Philosophi omnes. Est hoc axioma per se notum; quia totum includit entitatem unius partis, & insuper partes reliquas. Hærent tamen Tyrones quando sic objicitur: Si quis haberet digitum instar magni trunci, pars illa, quæ est digitus, esset major suo toto, sive isto homine, &c. Sed responderetur, digitus ille esset major isto homine, spectato seorsim absque digito, sic conceditur: digitus esset major toto homine spectato simul cum illo suo digito, sic negatur: ergo & in hoc verum est axioma.

Tria sunt omnia: Aristotelis 1. de Cælo. textu 1. Numerus Ternarius dicitur perfectissimus, quia in eo reperitur ratio principii, mediæ, & finis. Dicitur etiam omnia, hoc sensu, quia ut denominatio illa, omnes, vel omnia possit aliquibus convenire, non sufficit esse unum vel duo, tunc enim dicimus ambo, non omnes, rectè autem dicimus, omnes tres. Rectè hoc usurpatur de Trinitate in divinis, quia illa est omnium istar, perfectione, virtute, bonitate, &c.

Natura abhorret à Vacuo: Arist. Sect. 8. Problem. 9. Hoc est, corpora contingua divelli se non patiuntur, nisi aliud intercedat quod impediât vacuum. Et hinc per canales erectos in motu anthrax ex puteo aqua extrahitur: & folles, obducto foramine, diduci se non patiuntur. Causa ulterior hujus horrois refunditur in illud, Nihil agit indistans, de quo supra, quia agens creatum est limitatæ virtutis, adeoque debet in corpus proximum suam actionem diffundere.

Verum vero non est contrarium: Ita passim Philosophi. Quod dicitur de Vero, accommodatur etiam Bono in genere virtutis, hoc modo: Una virtus alteri non est contraria. Ratio de Vero est, quia omnis veritas nostra est participatio quædam veritatis æternæ, quæ est incommutabilis, quod intelligitur etiam de omni veritate revelata: & hinc etiam omnis definitio Ecclesiæ de veritate, aut falsitate alicujus doctrinæ est irrevocabilis.

Violentum nullum est perpetuum: Aristotelis 2. de Cælo textu 18. Quia violentum est quod fit ab extrinseco, passo resistente; ideoque fit contra naturam, cujus vires, cum sint limitatæ nequeunt violentiæ perpetuæ resistere. Intellige, nisi ab aliqua potentiore causa perpetuò conserventur, sicut damnati in inferno in statu violento in æternum permanebunt.

Dato uno absurdo cætera accidunt: scilicet absurda: Aristotelis 1. Phys. textu 10. Quia inscientiis posito uno falso fundamento, & falsitate pro veritate admittâ, plures falsitates sequi necesse est, ut si admittas Filium in divinis esse minorem Patre, cogaris etiam admittere illum non esse Deum, ab æterno &c. Valet etiam in moralibus, ut si admittas hominem non esse in agendo liberum, admittes etiam non mereri pro virtutibus præmium, neque pro sceleribus supplicium.

Universale aut nihil est, aut posterius est singularibus: Aristoteles de anima, textu 8. Ubi ait, Animal universale aut nihil est, aut posterius: agens enim contra Platonem volentem universale, qua tale existere à parte rei ante mentis operam: adeoque illud posterius significat, post mentis operam, uti exponit Toletus

textu 8. de anima. Unde etiam per nihil, tantum intelligitur nihil existens ante singularia.

Universalia sunt æterna, incorruptibilia, & immutabilia. Est Philosophis commune axioma, etiam apud D. Thomam 1. p. Quæst. 16. Art. 7. Intellige, universalia esse æterna, & immutabilia objective, sive in actu existentia possibilis, sic homo esset semper universale, etsi nullus homo in individuo unquam existeret: quia illud prædicatum specificum, animal rationale, nullam ab æterno involvit contradictionem, sive repugnantiam in ordine ad actualem existentiam.

TERMINI

DISTINCTIONUM PHILOSOPHICARUM

Pro aliis etiam Scientiis explicati.

Duplex est horum cum precedentibus usus & utilitas singularis. Primò, pro illis, qui ante studium Theologiae, aut Juris, operam Philosophiæ non navaverunt. Quibus cum dialecticæ præceptis, horum singula insuper compendii sapè & studiose recolant, nihil sibi magnopere prædicatum communem Philosophiæ usum, deesse experiantur. Secundò, pro illis, qui Philosophiæ a longiori tempore necumque studuerunt, ut possint scientiam illam hoc brevi Compendio recollere & renovare. Eius hunc suum curam in his brevitate sectamur, ne ipsarum Distinctionum nimia distinctio Lectorem magis confundat, quam utiliter instruat.

Absolute, & respectivè. Absolute sive simpliciter, & secundum quid. Essentialiter, & accidentaliter. Per se, & per accidens.

Absolute dicitur Res talis, quando in se habet notitiam, vel accidens quod requirit talem denominationem: sic homo dicitur absolute rationalis, & paries dicitur absolute albus. Respectivè vero res dicitur talis, quando non habet in se tale quod diximus prædicatum, sed tantum sic denominatur, si cum alio re comparetur: sic vir parvæ staturæ respectivè dicitur magnus, si comparetur cum puero, non verò dicitur gigante.

Absolute aliquando idem est quod simpliciter, quando sine addito, aut limitatione potest res denominari talis. Secundum quid autem res dicitur talis, quando vel secundum partem sui partem, vel tantum cum additâ particulâ restringente talis denominatur. Sic Ethiops non denominatur absolute albus, sed bene secundum quid, scilicet dentes: & Imago hominis dicitur homo secundum quid, scilicet secundum solam representationem.

Essentialiter dicitur aliquod prædicatum convenire subjecto, sine quo subjectum nec esse nec concipi potest, sive, quod ingreditur primarium rei conceptum, ut rationale respectu hominis. Illud autem dicitur accidentaliter convenire, sine quo res saltem concipi potest, sive, quod non est de primario conceptu illius quod unquamque re est primum & radicale fundamentum cæterorum prædicatorum, quæ in tali re inventiuntur, quo modo etiam risibile tantum accidentaliter homini convenit, etsi sola ratione ab ejus essentia distinguitur.

Arist
Ki

The
log
D. II

Per se id dicitur convenire rei, quod ex natura ipsius rei convenit, seu ex principis intrinsicis. Sic v. g. homini conveniunt *per se* omnia prædicata quæ ipsi sunt essentialia, vel etiam propria quarto modo: & quæ necessario comitantur naturam v. g. esse natura sua bipedem. *Per accidens* autem id convenit rei quod convenit ei accidentaliter & non necessario, seu quod convenit ei quasi casu, & aliunde. Sic Logicus *per se* est Philosophus, per accidens autem est albus, pius, nobilis. *Per se* quandoque idem est, quod propter se & ex professo: *Per accidens* autem, idem quod propter aliud. Sic Logica *per se* agit de operationibus intellectus, per accidens autem de signis, vocibus &c.

Res in actu & potentia. In actu primo, & in actu secundo: In actu exercito, & in actu signato: De potentia Dei ordinaria, & de potentia absoluta: Adequate & inadæquate: Extensivè & intensivè: Realiter & intentionaliter: Positivè, & negativè.

ACTU esse res dicitur, quando de facto est extra suas causas, id est, quando à suis causis producta est ut existat. **POTENTIA**, vel in potentia res dicitur esse, quæ quidem non existit, sed tamen potest existere, sic Antichristus est potentia, etiam hodie.

ACTUS PRIMUS, est ipsa potentia v. g. videndi, intelligendi &c. **ACTUS VERO SECUNDUS**, est actio elicità à potentia: unde in actu primo, dicitur quis operari quando habet potentiam operandi; in actu vero secundo, qui de facto operatur. Sic dormiens dicitur videre vel discurre in actu primo, tum verò videre vel discurre in actu secundo, quando de facto aliquam visionem aut argumentationem elicit.

ACTUS SIGNATUS dicitur, i. Quando actus in propositione significatur expressè, id est, quando expressè & signantibus verbis dicitur talem actum competere alicui rei: Etiam si ille actus in propositione illa, non exercetur. **ACTUS VERO EXERCITUS** dicitur quando actus exercetur re ipsa, etiam si expressè seu signanter non dicatur exerceri, v. g. quando dicitur: Petrus est doctus: hæc doctrina prædicatur de Petro in actu exercito, id est, actus prædicationis seu affirmationis de Petro verè exercetur. Quando vero dicitur: de Petro affirmatur vel prædicatur doctrina: Tum est actus signatus; & doctrina de Petro prædicatur in actu signato, id est, signantibus verbis exprimitur quod actus prædicationis doctrinæ competat Petro, quæ tamen prædicatio non exercetur in ista propositione.

Sic etiam Superior aut Pastor sobriè & castè vivens concionatur suis in actu exercito de sobrietate & castitate. Quando autem verbis aut signis commenat sobrietatem concionatur de sobrietate & castitate in actu signato.

Per potentiam Dei ORDINARIAM id dicitur fieri, quod potest fieri secundum legem & decretum ordinarium Dei, quod ille statuit servare circa res creatas. **Per potentiam vero ABSOLUTAM Dei**, id dicitur posse fieri, quod abstrahendo ab omni libero decreto Dei, & à cursu rerum Ordinario, à Deo potest fieri. Unde per absolutam Dei potentiam dicitur omne id posse fieri, quod non involvit contradictionem: Sic

R. P. Arsjæk. Tom. II.

per potentiam Dei absolutam absque omni studio potes hodie Aristotelem doctrinâ Philosophicâ superare, non tamen de potentia ordinaria.

ADÆQUATE sumitur res quando integrè & totaliter accipitur. Sic homo adæquate sumptus est animal rationale. **INADÆQUATE** verò sumitur res, quando sumitur partialiter. Sic homo inadæquate conceptus, est animal, est physice solum corpus, vel sola anima.

REALITER seu primo-Intentionaliter sumitur res, quando consideratur prout est à parte rei, & non ut vestita est quasi extrinsece aliqua Intentione, sive conceptu circa eam versante. **Secundo-Intentionaliter** sumitur res, quando res sumitur simul cum cognitione, & tota ratio cur prædicatum ei conveniat est, quia circa rem præcessit actus intellectus. Sic homo, & animal sumuntur realiter, seu primo-Intentionaliter, quando dico: Petrus est homo: Leo est animal. Sumuntur vero: Secundo-Intentionaliter quando dico: Homo est species: Animal est genus: quia denominationem speciei aut generis habent ratione conceptus generici aut specifiçi.

EXTENSIVE & INTENSIVE dicuntur potissimum de qualitate, aut quantitate: Extensio enim qualitatis v. g. caloris tunc fit quando calor extenditur ad plures partes subjecti. Intensio vero tunc fit, quando in eadem parte subjecti ponuntur plures gradus qualitatis v. g. caloris. Gradus autem communiter assignantur octo: ita ut qui octo Gradus v. g. caloris habet, dicatur habere intensissimum calorem. Sic manus calida ut sex: est intensive magis calida quam totum Corpus calidum ut quatuor, sed tamen extensive magis est calidum quam illa manus per se sumpta.

POSITIVE res dicitur aliqua talis, quando in illa vere reperitur forma denominans. Sic mel dicitur dulce positive, quia dulcedo vere est in mille. **NEGATIVE** verò aliquid dicitur tale, quando caret solum formâ contraria. Sic omne id dicitur esse dulce negative quod non est amarum. Et puer dicitur probus negative qui nihil committit improbitatis.

Directè, indirectè: Directè & reflexè: In recto, & in obliquo: In sensu composito & diviso: Materialiter & formaliter. Specificativè & reduplicativè. Formaliter, virtualiter, eminentè, radicaliter.

DIRECTE, id intendi dicitur in quavis actione quod primario, & ratione sui intenditur. **INDIRECTE** verò, id quod tantum ratione alterius intenditur, & quasi per accidens. Sic Logica directè agit de operationibus intellectus; indirectè vero de signis vocibus &c. Item in moralibus, directè dicitur intendere homicidium, qui illud mandat, **indirectè**, qui illius aliquam causam ponit. **DIVISE**, ut opponitur **REFLEXÈ** quando res cognoscitur primò in se, non in alia cognitione de illa habita.

In recto, & in obliquo importari, maxime dicuntur de terminis connotativis & relativis. Significari itaque **in recto** idem est quod in enunciatione significari identificatum cum subjecto. Illud autem significatur **in Obliquo** quod non significatur identificari cum subjecto, sed tantum esse aliquid pertinens ad subjectum, vel ad reatum ipsius prædicati. Ut in hoc termino **albus**, significatur

Mm

ficatur

ficatures quæ est alba in recto, albedo vero in obliquo: Hinc in prædicatione quæ dico, *paries est albus*; identifico rem quæ est alba cum pariete, non vero identifico albedinem cum pariete: Vera enim est hæc propositio; paries est res habens albedinem: Falsa autem altera, paries est albedo.

Sensus compositus alicujus propositionis dicitur, quando fit compositio prædicati cum subiecto secundum significata formalia utriusque. Ut cum dico: *Logicus est Philosophus*, scilicet, ut *Logicæ prædicatus*: Item, *Justus est beatus*, scilicet, manens *justus*. Sensem autem *divisum* tunc habet propositio, quando prædicatum convenit subiecto ratione tantum significati materialis. Ut cum dico: *Album potest esse nigrum*: hæc enim propositio in sensu composito est falsa; sensus enim compositus est, album manens album posse esse nigrum, sive albedinem & nigredinem posse esse simul in eodem subiecto: In sensu autem *diviso* propositio illa est vera; Tunc enim sensus est: Album, seu id quod est album non tamen manens album, posse esse nigrum.

MATERIALITER, & FORMALITER, variis modis sumitur. I. *Materialiter* dicitur prædicatum convenire subiecto quando convenit ratione materiæ, sive subiecti. Sic dicitur *album*, v. g. lac, materialiter, non formaliter dulce. *Formaliter* verò convenire dicitur, quod convenit ratione formæ: sic album formaliter, sive ut album, est disgregativum visus. Quæ distinctio etiam locum habet quando prædicata sunt realiter eadem, & tantum ab intellectu concipiuntur per modum materiæ & formæ: Sic in sensu *Materiali*, sive identico, animal est rationale, quia animal & rationale sunt eadem res, *Formaliter* autem, seu in sensu formali, animalitas non est rationalitas, sunt enim formalitates diversæ in conceptu.

II. *Materialiter* quandoque idem est quod identice, seu *specificativè*. *Formaliter* autem quandoque idem est quod *reduplicativè*: quod exprimi solet per particulam *quatenus*, in *quantum*, *quatenus*, &c. Ita homo formaliter seu reduplicativè est rationalis, quia possum reduplicare dicendo, homo quatenus homo est Rationalis. Si autem dicam: homo quatenus homo est Philosophus, erit falsa propositio in sensu formali, sive reduplicativo.

III. *Formaliter*, *virtualiter*, *eminenter*, dicuntur de causis prout continent perfectionem sui effectus: Effectum enim, seu perfectionem sui effectus, tunc dicuntur causæ continere *Formaliter* quando illa entitas effectus quam producant reperitur in ipsis causis. Sic *ignis* dicitur *Formaliter calidus*, quia calorem, quem producit etiam in se continet. *Virtualiter* autem dicuntur causæ continere effectum, quando possunt effectum illum producere, licet entitas effectus in ipsis causis non reperiat: sic piper, aut vinum virtualiter dicitur calidum, quia potest in homine calorem causare, licet vinum actu in se calorem non haberet.

Denique *Eminenter* causa tunc dicitur continere effectum, quando non æquivalenter tantum & virtualiter effectum continet, sed etiam est multo perfectior effectui, sublatis scilicet imperfectionibus quæ sunt in effectui. Sic sol *Eminenter* est calidus, quia & virtutem habet producendi calorem, & est calore perfectior. Item Deus *Eminenter* continet creaturarum perfectiones, quia sublatis imperfectionibus suis in se continet ut causa perfectissima,

IV. *Formaliter* sumitur effectus quando spectatur secundum se: *Radicaliter* autem vel *fundamentaliter* quando spectatur secundum causam, radicem, vel fundamentum. Sic *Risibile* sumptum formaliter est proprietas hominis, & à rationali distinguitur; *Risibile* autem sumptum radicaliter est idem quod rationale. Nam rationalitas est causa sive radix prima risibilitatis.

V. *Formaliter* etiam subinde significat idem quod per se, sive essentialiter; ita ut prædicatum quod dicitur convenire subiecto formaliter, sit in recto de definitione subiecti. Sic homo est formaliter animal: uti & rationalis; non vero hoc sensu homo est formaliter risibilis, vel albus, quia hæc hominis definitionem aut essentialiam non ingrediuntur.

CAPUT VIII.

Authores varii, etiam Recentiores in Philosophiam universam.

EX singulis Scholis & Nationibus aliquos antequam antiquos quam recentiores, qui in Philosophiam ferè universam scripserunt, ut hujus scientiæ studiosus non ignoret aliquos celebriores Scriptores, quorum notitiam aut delectum habere, pro sua vel aliorum institutione, commodissimum experietur.

S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus, in libris de Cælo, Mundo, & aliis in illius Operibus etiam Theologicis passim explicatos.

Ioannes Duns Scotus Doctor Subtilis Ordinis Seraphici, in Philosophiam universam.

Curfus complutensis PP. Carmelitarum Discretorum.

Aegidius Romani, Ordinis S. Augustini, Philosophia.

Guilhelmi Philippi Lovanii in col. Liliensi olim Professoris, Philosophia, in qua modernæ etiam opiniones explicantur.

Guilhelmus van Siehem Ordinis S. Francisci Philosophia percommoda, etiam recentiora complectens.

Francisci Bone Spei Ordinis carmelitarum calculatorum, Curfus Philosophicus.

Emanuelis Maignan Ordinis minorum, Philosophia nova, sive curfus Physicus recentioribus multum insistentis.

Honorati Fabri Societatis *IESV* Philosophia & maximè Physica methodo etiam nova.

Francisci Suarez Societatis *IESV*, Metaphysica amplissima.

Scriptit etiam in Philosophiam *Casimirus Thibet*, Ordinis Capucinatorum.

Antonius Gaudinus, Gallus. *Raymondus Maister*, Gallus. *Ioannes à S. Paulo*, Hispanus. *Scipio Claremontanus*, Italus.

Cenalmus Digbaus, Anglus, in Philosophia, observationes plurimæ novæ & ingeniosæ, & demonstratio immortalitatis animæ.

Petrus Cassendus, Gallus, in Philosophiam exquisita plurima.

Gemma Frisius ex Acad. Lovan. de Cælo &c.

Libertus Fromondus, ex eadem, Meteoræ, & *Aristarchus*.

N. Fournenc, Ord. Oratorii in Philosophia.

Contm.